

illa paullo post, de hac modo differamus. Quam non video qua ratione melius vobis patefacere valeam, quam si vitia huic virtuti adversantia enumeravero. Sunt autem multa, quæ simplicitati opponuntur. Simplicitas enim adversatur primo quidem malitiæ, secundo versutiæ, tertio duplicitati, quarto curiositati, quinto, ut ita dixerim, multiplicitati. De his igitur suo ordine differamus.

Principio igitur malitia opponitur simplicitati. Quo morbo laborabat Nabal Carmeli, quem litteræ sanctæ ferunt (a) fuisse pessimum & malitiosum. Malitiosus autem est, qui sub omni lapide scorpionem dormire putat; qui ea, quæ candide & recte fiunt, sinistra interpretatione damnare, de omnibus male sentire, ac de se ipso aliorum facta dictaque aestimare solet. Quum enim is flagitiosus sit, ceteros quoque flagitiosam vitam degere arbitratur. Hinc illud Salomonis: (b) *in via stultus ambulans, quum ipse insipiens sit, omnes stultos aestimat.* Unde Neronem imperatorem dixisse ferunt, mortales omnes non minora, quam se, peccaturos, si simili potestate

atque imperio potirentur. Potestatem enim, non voluntatem, ad facinora perpetranda cunctis hominibus deesset ajebar. Hoc autem modo delinquant, qui homines pie ac religiose viventes, & sacra loca, & sacramenta, ceteraque pietatis opera frequentantes, hypocrisis & inanis gloriæ accusare solent; & quum externa opera nequeant, internam tamen intentionem damnant. Qua in re Dei officium & sedem impie atque nefarie sibi arrogant, qui solus est cogitationum & intentionum scrutator atque discretor. Unde exstat illud Zephyrini papæ memorabile decretum: „de occultis alieni cordis temere „judicare, peccatum est; & eum, „cujus non videntur opera nisi „bona, iniquum est, ex suspicio- „ne velle reprehendere, quum „eorum, quæ occulta sunt, solus „Deus arbiter sit. „ Ab hac igitur nos peste simplicitas liberat: quæ solam externam operum faciem videt, quæ candide omnia judicat, quæ columbina simplicitate omnia meretur, quæ in meliorem partem omnia accipit, quæ quum probare opera aperte mala non possit, aut intentionis rectitudine, aut ignorantia, aut humana infirmitate,

mitate, aut tentationis violentia, ut D. Bernardus admonet, eadem excusare nititur.

Nemo tamen ita hanc simplicitatis virtutem colat, ut non meminerit, a Domino Salvatore dictum esse: (a) *estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Hæc enim prudentia facit, ne simus humiles in sapientia nostra, ne circumferamur omni vento doctrinæ, ne credamus omni spiritui: sed probemus spiritus, qui ex Deo sunt; meminerimusque, scriptum esse, eos (b), *qui cito credant, leves corde esse.* Quæ cautio præcipue tenenda est, ubi cum subdolis hominibus, aut hæreticis versamur. Hinc Salvator: (c) *attendite, inquit, ab his, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Sic Apostolus: (d) *videte, ait, canes, videte malos operarios, videte concisionem:* hoc est, eos, qui circumcisionem defendunt, ne persecutionem crucis Christi patiantur. Exstat autem in ecclesiastica historia locupletissimum hujus rei exemplum. Quum enim sanctissimus quidam eremita in episcopum consecrandus esset, isque nequaquam a

Lucio Ariano, sed a catholico antistite consecrari peteret; Luciusque blandis & fallacibus verbis, se eandem fidem profiteri, testaretur: sanctus anachoreta prudenter atque constanter: *nequaquam, inquit, o Luci, te de verbis tuis, sed de operibus aestimare debeo; qui tot Christi sacerdotes & episcopos affixisti, & in exilium misisti, ideoque manus me tua contingere nullo modo debent.*

Simplicitati etiam non solum malitia, sed etiam versutia atque astutia opponitur. Versutus autem homo est, qui dolis ac fraudibus circumvenire nititur innocentes; qui, tamquam auceps, pedicas & laqueos necit, quibus alios fallat; qui nihil recte, nihil simpliciter facit, sed miris omnia cuniculis atque meandris persequitur. Qua in re se veluti Protheum quemdam exhibet, varios vultus atque facies ad fallendum subinde commutans. Quod quidem Phariseorum discipuli atque Herodiani fecerunt, qui his verbis Dominum illaqueare conati sunt: (e) *magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, &c.* Sciens autem

Tom. III.

X 3

tem

(a) 1. Reg. 25. 3. (b) Eccles. 10. 3.

(a) Matth. 10. 16. (b) Eccl. 19. 4. (c) Matth. 7. 15. (d) Philipp. 2. (e) Matth. 22. 16.

tem Jesus, ut Marcus ait, veritiam eorum, ait: (a) *quid mentatis, hypocritæ?* &c. Vix autem in evangelica historia tanta Dominum acrimonia respondisse adversariis suis legimus. Unde liquet, quam sit hoc vitium Deo invisum: nec Deo solum, sed hominibus etiam. Unde est illud Salomonis: (b) *impatiens operabitur stultitiam, & vir versutus odiosus est.*

Hi autem inter cætera animantia vulpi præcipue comparantur, quæ multiplici astu atque insidiis prædam captat. Hinc Dominus Herodem hac ratione vulpem appellavit: (c) *ite*, inquit, *& dicite vulpi illi*, &c. Nec minus hoc nomen Catilinæ, atrocissimo populi Romani hosti, convenit, qui, ut Sallustius ait, (d) *cujuslibet rei simulator ac dissimulator* erat: quod versuti atque dolosi hominis proprium est. In quo etiam ordine & crimine jure Davidis filium Absalonem numerare possumus, qui eisdem artibus ac dolis sanctissimo atque piissimo patri exitium inferre nitebatur. Quibus exemplis apparet, quam sit hoc scelus detestabile, quod in homi-

nes adeo sceleratos & perditos cadit. Quorum discipuli atque sectatores sunt, qui eodem morbo laborant. Huic autem teterrimo vitio simplicitatis virtus contraria est, quæ nihil astu, nihil dolis, nihil fraudibus agit; sed simplici & aperta via graditur: cujus virtutis æmulus, apertos, & veritatis atque recti cultores appellare solemus.

## §. II.

Simplicitas etiam duplicitati adversatur, de qua in Ecclesiastico legimus: (e) *væ duplici corde, & labiis scelestis, & peccatori terram ingredienti duabus viis.* Duplices autem corde, bifrontes Latini appellare solent: qui videlicet aliud corde, aliud in fronte gestant. Quod vitium velut species quadam sub astutia, de qua modo diximus, comprehenditur. Inter alios enim versutiæ astus, hæc cordis duplicitas numeratur; quum homines fallendi causa aliud corde tegunt, aliud ore profitentur. Quod regius propheta notavit, quum de illis ait: (f) *ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* Et iterum: (g) *vana loquuti sunt unusquisque ad*

(a) *Marc. 12. 15.* (b) *Prov. 14. 17.* (c) *Luc. 13. 32.* (d) *Sallustius, de conjur. Catil. cap. 1.* (e) *Eccli. 2. 14.* (f) *Psal. 61. 5.* (g) *Psal. 11. 3.*

*ad proximum suum: labia dolosa, in corde & corde locuti sunt:* aliud videlicet corde, aliud ore gestantes. De quibus idem alibi: (a) *molliti*, inquit, *sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula*, sive, ut alius vertit, lanceæ. Hujus autem criminis malitiam & gravitatem Jeremias declarat his verbis: (b) „*sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* „*In ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occulte ponit ei insidias.* Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut in gente hujuscemodi non ulciscetur anima mea? Super montes asfumam fletum ac lamentum, & super speciosa deserti planctum: quoniam incensa sunt, eo quod non sit vir pertransiens, & non audierunt vocem possidentis. A volucre cæli usque ad pecora transmigraverunt & recesserunt. Et dabo Jerusalem in acervos arenæ, & cubilia draconum, & civitates Judæ dabo in desolationem, eo quod non sit habitator. „*Hactenus verba prophetæ: cujus terrores ac minæ satis indicant, quantum conditori nostro hoc scelus invisum sit; qui,*

quum sit natura maxime simplex, vehementer hoc duplici-tatis & malitiæ crimen detestatur. A quo malo nos Ecclesiasticus revocare nititur, quum ait: (c) *ne accipias faciem adversus faciem tuam*: hoc est, ne aliud corde, aliud verbis & fronte præ te feras.

Sub hoc etiam crimine adulatorum collocantur, qui blandis verbis venenum incautis propinant, & hac fraude alienas opes sæpe diripiunt. Sic ferunt fabulatores, vulpem in corvum incidisse, qui caseum gestabat in ore. Cujus vocem subdola vulpes collaudans, ad canendum invitavit. At corvus amens, hac laude delinitus, & canere incipiens, caseum ab ore demisit; quem vulpecula arripiens, delusum cantorem relinquens, cum caseo aufugit. Qua fabella sapientes viri adulatorum venena melle lita significare, & incautis prospicere voluerunt. A quo nos malo columbina simplicitas liberat, quæ, ut ipsum quoque nomen sonat, ab hac duplicitate aliena, simplici & recto corde cum hominibus versatur, nihil tegens, nihil simulans, nihil subdole occultans, nisi quod serpentis prudentia, quæ tacenda

X 4

di-

(a) *Psal. 54. 22.* (b) *Jerem. 9. 8 - 11.* (c) *Eccli. 4. 26.*

dicendaque discernit, tacendum atque dissimulandum esse dijudicat.

Est etiam simplicitas, quæ curiositati adversatur. Quæ quidem curiositas multiplex ac varia est. Est enim curiositas, qua sapientiæ studiosi præscriptos sibi a sobrietate fines transcendere nitentes, curiosâ magis, quam salutaria indagare contendunt. A quo nos malo Apostolus avocare cupit, quum ait: (a) *non plus sapere, quam oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem.* Et Sapiens, (b) *altiora, inquit, te ne quæseris, & fortiora te ne scrutatus fueris; sed illa cogita, quæ tibi præcepit Deus: & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Plurima enim supra sensum hominis monstrata sunt tibi.* Salomon quoque, (c) *mel, inquit, invenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud.* Quam sententiam idem alibi declarat his verbis: (d) *sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria.* Quibus verbis rerum divinarum inquisitioni mensuram quamdam nobis præfinivit, ut, tarditatis & ignorantia nostræ conscii, in-

(a) Rom. 12. 3. (b) Eccli. 3. 22. (c) Prov. 25. 16. (d) Ibid. v. 27.  
(e) Rom. 11. 33. (f) Genes. 2. 9.

tra fines nobis præscriptos nos ipsos contineamus, neque ultra progredi velimus. Quos sane prætergrediuntur, qui curiose inquirunt, quid divina mens agebat, antequam mundi fundamenta jaceret; cur alios prædestinavit, alios præscivit; cur hos ad se trahat, illos non trahat; cur tamdiu generis humani redemptionem distulit; aut cur tot infidelium nationes in tenebris agere patiatur, atque his similia. Hæc igitur sunt humanis mentibus inaccessa, quæ scrutari non licet, sed suppliciter cum Apostolo clamare: (e) *o altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Fortasse autem prima illa parentis nostræ inobedientia hujusmodi curiositatis affectatione non caruit; quæ ut vidit (f) *lignum ad spectu pulchrum, & ad vescendum suave,* curiositate feminea, an id, quod serpens pollicitus illi fuerat, verum esset, experiri voluit.

Est alia item curiositas, qua homo sui negligens, quæ aliena sunt, sollicitè inquirat. Itaque aliorum dicta, facta, mores, ingenium, simultates, li-

tes, genus, avos atque atavos sic inquirat, quasi de omnium vita & moribus historiam texere deberet; qui tamen neque se ipsum, neque mores, neque ingenium, neque recte ansecus vivat, indagare curat: atque ita demum intra se ipsum velut peregrinus, in aliena regione vagatur. Quod curiositatis genus latissime patet, quum videamus passim, homines in aliorum vita perscrutanda esse diligentissimos, in sua vero perquirenda negligentissimos. Qua in re apparet, quam sit præposterum hominum ingenium, qui id maxime curant, quod negligendum esset; id vero negligunt, quod esset magnopere curandum. Quod perinde est, ac si quis aliorum vulneribus diligenter medicinam adhiberet, sua vero, quæ letalia essent, minime curaret.

Est alia etiam curiositas eorum, qui omnia, quæ ad usum vitæ requiruntur, nempe domum, stratum, vestem, cibos, pocula magna arte elaborata, in pretio habenda esse contendunt. In quo crimine dives ille epulo erat, qui (a) *induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide:* cui apud inferos agenti, & guttam aquæ

petenti, Abraham dixit: (b) *fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.*

Huic autem triplici curiositati triplex item adversatur simplicitas. Prima est eorum, qui simplici & recta divinorum mysteriorum fide contenti, quæ supra inquisitionis & facultatis humanæ captum posita sunt, deserentes, majorum & ecclesiæ traditionibus contenti, intellectum suum pia credulitate in obsequium fidei captivant. Alia vero simplicitas est eorum, qui, ut se ipsos plenius inspiciant, ab omnibus aliis oculos avertunt. Itaque aliena, quæ ad se minime pertinent, missa facientes, totum studium suum in vita, moribusque suis indagandis, atque ad normam divinæ legis componendis, impendunt. Tertia vero simplicitas est eorum, qui simplici victu, cultu & habitu, hoc est, naturæ divitiis contenti, quidquid humana ambitio, quidquid fastus, superbia, libido & curiositas hominum excogitavit, tamquam luxuriæ, gula, avaritiæ & superbiæ irritamenta, a naturæ simplicitate abhorrentia, procul a se repellunt.

(a) Luc. 16. 19. (b) Ibid. v. 25.

lunt. Quam vitæ formam multi hominum, ac præcipue Stoici, sectati sunt, quibus propositum erat, secundum naturam vivere, necessitatique, non voluptati servire. Longe tamen perfectius philosophia nostra hoc docet, quæ tota in terrenarum rerum contemptione, & caelestium amore posita est.

Est & alia simplicitas, quæ multiplici, ut ita dixerim, contraria est. Quæ quidem virtus ad eos maxime spectat, qui se totos caelestium rerum contemplationi, studioque sapientiæ addixerunt; qui, ab omnibus aliis curis negotiisque feriat, illud unum quærunt, quod olim Dominus Martha significavit, quum dixit: (a) *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima: porro unum est necessarium.* Quæ quidem de re alibi paulo fusius disseruimus. Nunc de ea simplicitate, quæ erga Deum servanda est, paucis agamus.

## §. III.

De hac igitur Salvator in facie hujus diei lectione: *si oculus, inquit, tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Quo in loco, oculi nomine, non modo fidei atque doctrinæ lumen, ut initio diximus, sed

intentionis quoque puritas merito designatur. Vere enim bonorum operum meritum & reuerentia ab intentionis puritate & reuerentia maxime pender. Quum enim ad operis bonitatem omnium circumstantiarum reuerentia ita necessaria sit, ut vel una deficiente, operis quoque reuerentia deficiat: recti tamen finis circumstantia adeo necessaria est, ut ab ipsa opus nostrum & speciem, & nomen, & bonitatem sortiatur. Quocirca sollicitus virtutum amator & cultor totum studium suum erga hujus intentionis puritatem convertere debet. Hinc D. Gregorius: *sicut domus fabrica columnis, columnæ autem basibus innituntur: ita bona opera nostra virtutibus, virtutes autem mentis intima intentione innixa subsistunt.*

Ad hoc autem illud præcipue curandum est, ut in omni opere nostro Dei nobis gloriam & beneplacitum proponamus. Quod etiam in operibus ad usum vitæ necessariis facere monet Apostolus, quum ait: (b) *sive comeditis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quo autem purius hanc ejus gloriam & beneplacitum spectaverimus, hoc il-

(a) *Luc. 10. 41.* (b) *1. Corinth. 10. 31.*

illi gratius obsequium præstabimus, majusque nobis meritum comparabimus. Licet quidem & poenarum metu ad bona opera excitari: quod divus Hieronymus faciebat, qui (a) se gehennæ metu ad horridum illum deserti carcerem damnasse testatur. Licet & caelestis præmii intuitu ad idem induci: quod se regius propheta facere testabatur, quum diceret: (b) *inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem: sive, ut D. Hieronymus ex Hebræo vertit, propter æternam retributionem.* Nemo tamen in hoc tantum sistere debet, nisi hæc ipsa ad Deum referantur. Recte enim D. Augustinus: *minus, inquit, te, Domine, amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*

Ceterum ut perfecta caritas, auctore Joanne, (c) poenarum timorem adimit: ita eadem a mercedis intuitu oculos avertit, Deumque puro mentis oculo intuetur; quem citra mercedis spem, sola immensæ bonitatis & pulchritudinis ejus causa, flagrantissima dilectione amplectitur; & quo magis a mercedis intuitu oculos avertit,

hoc majorem operis sui mercedem refert. *Caritas enim, ut D. Bernardus ait, mercenaria non est, & tamen sine mercede non est.* Ad hunc autem caritatis gradum nec sanctissimum quidem Job pervenisse, dæmon falso quidem arbitrabatur. Deo enim illi dicente: (d) *numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & reclusus, & recedens a malo?* Dæmon respondit: (e) *numquid Job frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam ejus per circuitum? Operibus manuum ejus benedixisti, & possessio ejus crevit in terra. Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Hæc tenus ille. Ex cujus verbis intelligere licet, quanta dignitas in hac intentionis puritate, quam descripsimus, sita sit; quando eam callidissimus ille hostis sanctissimo illi viro tribuere nolebat. Quo magis evidentum nobis est, fratres, ut huc perveniamus, quo viri hujus laudatissimi imitatores simus.

Si quis autem difficile atque ar-

(a) *Hieron. ad Eustochi.* (b) *Psal. 118. 112.* (c) *1. Joan. 4. 18.* (d) *Job 1. 8.* (e) *Ibid. v. 9 - 11.*

arduum putat, ut homo, utilitatis suæ avidissimus, hanc intentionis puritatem & simplicitatem adipiscatur, audiat ethnicum hominem, nos ad hoc ipsum adhortarem; sic enim Seneca: „propositum est nobis secundum rerum naturam vivere, & Deorum exemplum sequi. Dii autem quodcumque faciunt, in eo nihil præter ipsam faciendi rationem sequuntur: nisi forte existimas, illos fructum operum suorum ex fumo extorere, & turis odore percipere. Vide quanta quotidie moliantur, quanta distribuunt, quantis terras fructibus impleant, quam opportunitis, & in omnes oras ferrentibus ventis maria permeant; quantis imbribus repente dejectis solum moliant, venasque fontium aures redintegrent, & infuso per occulta nutrimento renovent. Omnia ista sine mercede, sine ullo ad ipsos perveniente commodo faciunt. Hæc quoque nostra ratio, si ab exemplari suo non aberrat, servet, ne ad res honestas conducta veniat. Pudeat ullum venale esse beneficium. Gratuitos habemus

„Deos. Si Deos, inquit, imitaris, da & ingratis beneficia. Nam & sceleratis Sol oritur, & piratis patent maria. Hactenus Seneca: cujus verba magnum fidelibus incutere pudorem debent, si fidei luce colustrati nondum eo perveniant, quo philosophus hic vel pervenit, vel perveniendum esse monstravit.

Si quis autem nondum tantos in caritate processus fecit, ut ad hanc intentionis puritatem ac simplicitatem pervenerit; illud tamen curare debet, ut si in precibus ac pietatis operibus, quæ molitur, aliquam terrenam commoditatem intueatur, id sinistro, quod adjungit, oculo fiat, dextro tamen oculo Deum adspiciat, eandem illam commoditatem ad ejus gloriam & obsequium referens. Sunt autem multi usque adeo terrenis rebus affixi, ut non raro & preces & vota faciant, & eleemosynas largiantur, & jejuniis interdum atque vigiliis corpus affligant, ut terrena bona, quæ sitienter appetunt, a Domino impetrent, non ut illi obsequantur, sed ut votorum suorum compotes fiant. Sic enim multi, ut prospere navigent; alii, ut in lire,

(a) Senec. lib. IV. cap. 25. de benefic.

quam intendunt, superiores evadant; alii, ut opertas nuptias assequantur; alii, ut ex sterili uxore sobolem suscipiant; nonnulli, ut ad majora in republica vel in ecclesia munera & dignitates promoveantur, & preces, & vota, & eleemosynas faciunt: quæ ubi assecuti fuerint, omnia illa pietatis opera deserunt; utpote qui his studiis nequaquam Domini gloriam, sed suam ipsorum commoditatem captabant. Apparet autem, hos omnes sic pietatis operibus uti, quemadmodum tabularis atque fornicibus ligneis camentarii; quibus, opere jam absoluto, amplius non utuntur. Illos autem hoc in loco indignos arbitror qui commemorari debeant, quorum tantus furor atque cæcitas est, ut quum ad furta, flagitia, adulteria, & vindictam de inimicis injuste sumendam pergunt, simili modo se precibus & votis Deo commendent, ut quod nefarie concupiscunt, assequantur. Qui duplici nomine accusandi sunt, & quia scelerata opera moluntur, & quia sanctitatis & justitiam

auctorem Deum scelerum suorum participem atque patronum faciunt.

Hos igitur scopulos omnes, quos hactenus christianæ simplicitati adversari admonuimus, fratres, diligenter vitare studeamus, omnemque malitiam, versutiam, duplicitatem, curiositatem, & immodicam terrenarum rerum cupiditatem a moribus nostris studiose repellamus, & columbina simplicitate illius mores imitari studeamus, cujus simplicitatem & innocentiam Spiritus sanctus in columbæ specie super illum veniens designavit. Quam is virtutem in ecclesia sponsa sua sic adamavit, ut inter egregias ejus virtutes hanc præcipue commendaverit, quum dixit: (a) ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum. Sic enim fiet, ut hujus virtutis imitatione Christo Domino similes effecti, & ab eo diligamur, & per similitudinem gratiæ, ad ejus gloriæ communionem & similitudinem perducere mereamur.

(a) Cant. 1. 14.